Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31632
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Cum enim tante sanctitatis esset ut christus putaretur, tante humilitatis fuit ut indignum se ad domini corrigiam calciamenti, id est ligaturam mysterii diceret. Calciamentum quippe ex mortuis fit animantibus. Per calciamentum quoque humilitas domini designatur sicut ipse per prophetam ait: In ydumeam extendam calciamentum meum. Ydumea que sanguinea interpretatur significat gentilem populum, qui variis peccatorum facinoribus erat sanguinolentus. Cum autem deus morticinum nostre carnis assumpsit, quasi calciata divinitas ad nos venit. Cuius corrigiam calciamenti iohannes solvere non presumpsit, quia eius incarnationis secretum nec perfecte ipse penetrare potuit qui hanc annuntiavit. Unde per prophetam dicitur: Generationem eius quis enarrabit? Et paulus: O altitudo divitiarum sapientie dei. Et propheta: Quis enim cognovit sensum domini? Et psalmista: Quam magnificata sunt opera tua domine. Est et aliud in corrigia calciamenti quod considerare oportet. Consuetudo namque apud veteres fuit ut si quis fratris defuncti uxorem nollet accipere, ille eius calciamentum solveret qui legali successione sponsus existeret. Dominus autem christus sancte ecclesie sponsus inter homines apparuit sicut ipse per prophetam dominus dicit: Tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Et idem iohannes: Qui habet sponsam sponsus est. Amicus vero sponsi qui stat et audit eum gaudio gaudet propter vocem sponsi. Iohannes vero ad eius corrigiam solvendam [in margine: indignum] se esse dixit, quia nomen eius usurpare noluit. Cum autem ab hominibus christus putaretur, qui sponsus sancte ecclesie credebatur, sed ipse ad eius corrigiam ut diximus solvendam indignum se iudicavit, quia nomen sponsi non usurpavit, ac per hoc se esse sponsum sancte ecclesie negavit, ac si diceret: Non sum ego sponsus sed amicus sponsi. Hec in bethania facta sunt trans iordanen ubi erat iohannes. Legimus bethaniam esse prope ierusalem ubi dominus lazarum resuscitavit, ipsa est et bethfage. Sed hec altera bethanya est trans iordanen ubi iohannes baptizasse memoratur. Unde idem evangelista manifeste declarat alibi dicens: Erat iohannes baptizans in enon iuxta salim, eo quod essent ibi aque multe. Bethania autem domus obedientie interpretatur. Pulchre ergo iohannes in bethania baptizasse dicitur, ut ostenderet per obedientiam eos redire ad vitam, qui per inobedientiam inciderunt in mortem, et quos inobedientia ade fecit esse extraneos, obedientia christi reddat propinquos. Et bene trans iordanen hec facta fuisse memorantur, quia iordanis descensus baptizatorum interpretatur. Cum enim quisque in baptismum descendit, convertitur, innovatur et immutatur. Abscedentibus quippe vitiis accedunt virtutes, quia descendit filius diaboli et ascendit filius dei. Descendit filius ire, ascendit filius reconciliationis.

Feria IIII. Secundum lucam. In illo tempore

Missus est angelus gabriel a deo in civitatem galylee cui nomen nazareth et reliqua.

Idcirco angeli privatis nominibus censentur ut signentur per vocabula etiam in operatione quid valeant. Neque enim in illa sancta civitate quam visio dei omnipotentis plena scientia perficit, idcirco propria nomina sortiuntur, ne eorum persone sine nominibus sciri non possint, sed cum ad nos aliquid ministraturi veniunt, apud nos etiam nomina a ministeriis trahunt. Ad mariam quoque virginem gabriel mittitur qui dei fortitudo nominatur. Illum quippe nuntiare veniebat qui ad debellandas